



STENO Sture Caroli regis Sueonū nepos post
 Sauiculi fata magno omnium procerum & po-
 pulorum consensu Gothorum & Sueonum prin-
 ceps eligitur. Hic totis triginta annis subiecta re-
 gna tanta tranquillitate & felicitate administra-
 uit, ut Augusto felicior & Traiano melior dici po-
 tuisset. Nam Christiernum regem Danie magna
 prælio uicit, & sibi Suetiæ regnum confirmauit.
 Postea Suetiæ tumultus composuit, & seditionis
 electis pacem ubique restituit. Pietas eius tanta
 fuit, ut à nullo facile superaretur. Nam sacerdoti-
 bus stipendia auxit, & Ecclesiæ hinc inde uarijs
 donis exornauit. Regium etiam nomen conte-
 mnebat, atque se omnium fratrem uocabat. Habebat præterea passim in om-
 nibus regni locis suos ministros, qui prefectos obseruarent, atque eorum ma-
 litiam clam ad se referrent. Itaque singulos in officio continuuit, atque magna
 felicitate suum regnum gubernauit. Cum etiam Moscouitarum dux ei hanc
 felicitatem inuideret, atq; eius ditionem uastaret, Steno obuiam magno ani-
 mo ei processit, atque memorabili prælio uictum ad sua retrocedere coegit.
 Tandem uero suorum seditione Iohannes Christierni filius Danorum rex in
 Suetiam uocatus fuit. At Steno uiires colligens eundem represit, & breui to-
 tum regnum in pristinam libertatem restituit. Omnibus etiam benignè hanc
 defectionem remisit, & subditos in gratiam recepit. Ita ut passim de eo cane-
 retur: Parcere substratis est nobilis ira Stenonis. Cum hoc modo diu præ-
 fuisset, tandem Anno Christi nativitatis millesimo quingentesimo tertio o-
 bijt, & magnum omnibus sui desiderium reliquit. Huius nepos Gosta-
 stauus hodie magna gloria Suetiæ regnum administrat, Io-
 han. Mag. lib. 23. cap. 14.